

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0486

0484

0490

0480

0495

0475

0535

0435

0585

0385

0985

Ende

Anfang

472

vestigio effossum nucibus ac castaneis simile reperitur, colore  
ita lucido, ut pretiosos lapides auro inclusos splendidiores  
reddat. In hac Arabia sita est Mecha, civitas Machometi  
maledicti et templum sepulchri ejus, arte mechanica adeo  
mirifice, ut dicitur, suspensum, ut illi, qui nesciunt, opinentur  
esse virtute aliqua divina. Sunt enim in solo locati magnetes,  
inferius et superius in testudine in proportionata magnitudine,  
sepulchrum vero Machometi, quod est ferreum, aeris illius  
medio inter utrumque lapidem quasi numinis potestate pendet.  
Quale etiam aliquid in lucerna Veneris de lapide ab artifice  
fieri potuit, quod gentiles mirarentur. In delubro quodam  
erat ferreum idolum, etiam taliter suspensum, ut habetur in  
Spec. Nat. L. IX. c. 20. et infra fol. 72 B.

Verum magis ad aquilonem respicientes contra Chaldaeo-  
rum regionem oculos conjectimus, quae Arabiae est contermina,  
in qua civitas illa grandis Babylonia fuit a Nabuchodonosor  
constructa, ut in Daniele habetur.

In illa Babylonia erat ille ingens obeliscus, unum de VII  
mirabilibus mundi. Nam Semiramis regina ex Armeniae mon-  
tibus excidi fecit lapidem pedum CL in latitudine, spissitu-  
dine vero XXIV, quem deductum Babyloniam erexit in stu-  
porem omnium cernentium. Juxta hanc civitatem est campus  
Duran, in quo convenerunt gigantes post diluvium ad aedifi-  
cium turris Babel et ubi facta fuit confusio linguarum. In  
hoc campo erexit Nabuchodonosor statuam auream pro deo,  
quam Anauias, Azarias, Misael adorare nolentes missi  
sunt ibi in fornacem ignis. Ibi fuit idolum Bel et lacus leo-  
num. Hanc civitatem castitas Susanna uxoris Joachim de-  
coram reddidit et multa valde de ea in sacris Scripturis ha-  
bentur. Ex hac regione, ut supra Fol. 25 dictum est, Zigari  
populi, quos nos Zigineros nominamus, exierunt, qui aetate  
nostra cum liberis et uxoribus Europam omnem pervagantur  
et, cum fures subtilissimi sint, in oppida ingredi non permit-  
tuntur. Hos Veneti ab omni suo excluserunt regno, tum  
propter furta, tum etiam propter explorationem, (de) qua  
suspecti habentur. Eodem modo dominus Eberhardus de  
Wurtemberg, dux, eos ingredi suum dominium non permittit,  
quia corum dolos in propria persona expertus est adversitates

